

Andreas Mylius Peter Steffens


Dissertatio Iuridica De Inveniendis cauteq[ue] Instituendis Actionibus

Lipsiae: Georg, 1697

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn794175783>

Druck Freier  Zugang





H. N. — 2 (120.)

1. Mehl iudicium familiae evicoundae.
2. Pitter de instauratione impeni Romani sub Carolo M. et Otto
nibus facta episcopus effectibus. P. X.
3. Mylius de inveniendis cautisque instituendis actionibus.
4. Gouze de probatione religionis.
5. Gouze de provocationibus et appellationibus forendem privilegia
Caesarea, statuta et observantiam illustri rei publicae Augustae
Vindelicorum.
6. Gouze de in vertendo iura tractandi ordine.
7. Gothofredus de famosis latronibus investigandis.
8. Gottschalk de successione clericorum in geradam.
9. Gudius de Iuriconsultorum meritis in scripturam facram.
10. Gutschmid de praerogativa ordinis inter legatos.
11. Buder de iuris retractus gentilitii in Germania origine.
12. ~~Winkler~~ Hermann. homo oriens et florens.
13. Winkler de favore causarum matrimonialium nimis e prioris
prohibendo.
14. Winkler de venditore ad facultatem poenitendi ipsi si deo manu
partem pretii solvens iure subventi concessans in casu emtionis
artha interveniente perfecte celebratae, frustra provocante.
15. Winkler de iure circa flumina.
16. Wiese de commercio peregrinorum episcopus usque.
17. Huth de testamentis coeci.
18. Wieseland de iuribus suburbiorum.
19. Wieseland de stylo quo leges Germaniae vetustae servatae sunt.
20. Wieseland de sanctitate curiarum.
21. Wieseland de praerogativis ac iuribus Pro-Marchionis et
Custodissimi, nimb Landvogt, episcopus vicarii perpetui, et Obv-
ants-Gaisthuus in Marchionatu Sclavoniae superioris.
22. Hopfgarten de iure vectigalium in S. A. I.
23. Holze de statu iuribusque episcoporum Germaniae Augustanae
confessionis a condita transactione Passaviensi et pace religiosa
usque ad Westphalicam.
24. Stomberg zum Nach. de usufructu parventum in Hustia, specialim
de usufructu materno.
25. Mylius de iudicis denunciationis Saxoniae, Tuge-Gerichte dictis.
26. Mylius de officio iudicis et cleri in actu admonitionis de vitando
perjuro, eorumque honorario.

27. Mylius, actuanus peccans in causis iniuriarum
 28. Mylius actuanus peccans circa sententias et decisa
 29. Mylius actuanus peccans in formulis et describendis actis iudicialibus quoad causas civiles.
 30. Mylius mutationes clericorum.
 31. Mylius Notarius peccans in instrumento publico conficiendo.
 32. Mylius de novi operis nunciatione in foveis Germaniae.
 33. Mylius de oppugnatione iurisdictionis.
 34. Mylius actuanus peccans in facram sive regulari spectulamen judicialium.
 35. Mylius actuanus peccans in legem iudicariam de compositione amicabile tentanda.
 36. Mylius actuanus peccans in C.C.C. art. 149. in inspectione cadaveris ante sepulturam!
 37. Mylius de privatione iurisdictionis ab abusu.
 38. Mylius de beneficio restitutionis contra rem iudicatum quae fit brevi manu.
 39. Mylius de purgatione Saxonica.
 40. Mylius de iure navium ac poena amputationis et scapellae bonis mari.
 41. an iniuria mortuis inferri et crimen contra eos committi queat, viventes autem vindicandi illam potestatem habeant?
 42. Mylius de genuina indole donationis remuneratoriae.
 43. Mylius de confirmatione confessionis per corpus Christi et testimonii.
 44. Mylius de chaomate.
 45. Mylius an collegium Iuriconsultarum invitum a Candidato ad distribuendos honores summos cogi queat?
 46. Mylius an pater cogi queat ad summas studiorum filii, invitus, fabrum fraudos!

3

I. N. J.
DISSERTATIO JURIDICA
De
INVENIENDIS
cauteq;
INSTITUENDIS
ACTIONIBUS

Quam
PERMITTENTE MAGNIFICO
JURECONSULTORUM ORDINE
INFLORENTISSIMA PHILUREA
SUB PRÆSIDIO

DN. ANDRE ÆMYLII, J.U.D.
Institut. Imp. Prof. Publ. & Facult.
Jurid. Assessoris,

*Patroni, Præceptoris, atque Hospitis
sui piè colendi*

dic XXX. Septembr. Anno M. DC. XCVII.
placidæ Eruditorum censuræ

exponit
A. & R.
PETRUS STEFFENS

Eiderostadâ Holsatus. *Mons.*

H. L. Q. C.

LIPSIÆ, Literis JOH. GEORG.

PATRIÆ,
PATRONIS,
COGNATIS, Atque AMICIS.

En!

Benignissimi Creditores,
Debitorum obaratum,
Æreque alieno,
Egregiis scil. Vestris beneficiis ita oneratum,
Ut fortunâ sibi inimicâ,
Absque casu fortuitò & dolò,
Quamvis solvendo esse semper optaverit,
Solvendo tamen esse nunc planè desierit.

Eheu!

Sic nomina Vestra reddita inexigibilia,
Debitorque factus inidoneus.

Ast indulgete gratiosè Jurium Amatio
Beneficium juris beneficium,

Cessionem intelligo bonorum,

vel, sit penes vos electio,

Dationem in solutum.

Omnia mea quanquam vilissima offero bona.

Insufficientem solutionem nullam esse haud ignoro;

At tamen fidejussorem do idoneum,

Gratiosissimum DEUM,

Restantia debita mea meo nomine soluturum.

Appello eventualiter

Ad thronum Vestri Favoris,

Cui humillimè

Me, meaque studia commendata cupio.

Auctor.

PETRUS STEFFENS

Bidrosfada Hollans.

M. L. C.

LIPSIÆ, Litteris Joh. Georg.



J. N. J.

DISSERTATIONIS

CONSPECTUS.

- I. *Actionum humanarum prout Objectum Jurisprudentiæ & constituunt, Officium describitur.*
- II. *Quia non eodem modo jus nostrum obtineri potest, ideo in eligendo Juris remedio cautum oportet esse litigatorem.*
- III. *Plenius vero Excipientibus quam Agentibus est prospectum.*
- IV. *Quod declaratur per varia exempla.*
- V. *Sed si tantum agi potest, videndum, AN & QVA-
LLIS competat actio?*
- VI. *Circa questionem AN pra primis causæ statum cognoscat actor.*
- VII. *Quod fieri potest, si inquiratur factum.*
- VIII. *Et quidem totum illud inspiciatur cum omnibus circumstantiis.*
- IX. *Advertantur autem circumstantiæ facti pertinentes.*
- X. *Evoluto factò toto, si nullam competere actio-
nem*

A

nem

nem appareat, quid faciendum. Et quot modis fiat, ut nullam quis actionem habeat.

- XI. Si constet dari actionem, in **QUALITATEM** facti est inquirendum.
- XII. Ac simul perpendendum, an cum effectu institui possit nec ne?
- XIII. Quomodo effectus actionis nata impediatur à lege, adductione aliquot exemplorum ostenditur.
- XIV. Legalem suspensionem etiam in concurrentia actionis præjudicialis cum principali contingere luculenter demonstratur.
- XV. Quomodo effectus actionis nata ab hominis facto impediatur.
- XVI. Quâ ratione actionis nata exercitium effectu destituatur, adducitur.
- XVII. Simulq; ostenditur, probè videndum; an ab ipso reo, an à tertio nostrum obtinere possimus.
- XVIII. Pluribus actionibus concurrentibus quanam sint actoris partes.
- XIX. Quid si concurrant plures actiones reales numero differentes?
- XX. Quid si illæ non numero sed specie differant?
- XXI. De duabus actionibus unâ principaliter, alterâ subsidiarie intentatis.
- XXII. De actionibus realibus concurrentiam non admittentibus.
- XXIII. De concursu actionum personalium, & quidem rei persecutoriarum.

XXIV.

XXIV. De concursu actionum pœnalarum.

XXV. De rei persecutoriis cum pœnalibus concurrentibus.

XXVI. De realium & personalium actionum concurrentiâ.

XXVII. Quid si cum actionibus tum realibus tum personalibus concurrant possessoria?

I.

Actiones humanæ, quas Objectum Jurisprudentiæ constituere, in vulgus notum est non tantum in tribuendo alteri (personæ) quod ejus est (rem i. e. jus suum, debitum) sed etiam in modo obtinendi jus suum ab invito (in actionibus) consistunt. Neque enim satis est, exactam habere legum notitiam, ac scire, quæ verborum, quibus illæ constant, sit virtus, vel ita gnarum esse juris personarum, rerum, & actionum, nisi ad ipsam applicationem actiones nostræ dirigantur *l. 10. §. 6. verb. ff. de excusat.* Hæc namque est genuina legum intellectrix, ac vera illa, h. e. perfecta, realis, nec simulata, i. e. nominalis, fucata, apparens, imperfecta Philosophia. *l. 1. §. 1. ff. d. 7. & 7. HAHN. ad WESEMB. tit. de 7. & 7. n. XIV. verb. jus inquit. quæ, ut verbis SENECE in Epist. 10. utar, non est populare artificium, nec ostentationi paratum, quod non est in verbis, sed in rebus, animum format, vel fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat, sed & ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum. Conf. nov. 97. in pr. & cap. 2. ibi: Philosophata sunt. l. n. C. d. his, quib. ut indign. ibi Princeps Philosophiæ plenus. & l. ult. C. de repud. ubi MARCUS vocatur philosophiffimus.*

II

Obtinemus vero jus nostrum non eodem modo. Nam quia non una datur litigatorum conditio, diversa etiam ratione procedendum esse, quilibet vel mediocriter in iure versatus facile deprehendit. Aliæ sanè sunt partes actoris, aliæ rei, aliæ intervenientis, vel aliarum personarum. Et quia non semper actorum & reorum iura separatam & extra se existentem habent naturam, cum haud rarò invicem confundantur, veluti in judiciis duplicibus, quærelâ inofficiosi testamenti, enormis læsionis, non numeratæ pecuniæ, in causâ restitutionis in integrum, nullitatis, spoliis &c. idèò cautum esse oportet litigatorem, quodnam præ altero sit eligendum Remedium.

III.

Plenius vero excipientibus quam agentibus est prospectum, partim ratione probationis, quæ in actorem transfertur *l. 4. C. de edendo*. partim ratione decisionis causæ, quæ in dubio pro reo est faciendâ *l. 38. ff. de re jud. l. 47. de O. & A.* partim ratione durationis, quia quæ ad agendum sunt temporalia, ad excipiendum fiunt perpetua *l. 5. §. fin. ff. de doli mali & met. except.* partim ratione aliarum circumstantiarum. Sic namq; reus nec possessionis titulum *l. n. C. de petit. hered.* nec instrumenta ad fundandam actionem necessaria edere compellitur *l. fin. C. de edendo*. Idem quoq; eadem scripturâ plures potest opponere exceptiones, licet sint diversæ, *l. 5. l. 8. l. 9. ff. de except. l. 43. ff. eod.* cum actori plures actiones promiscuè conjungere & cumulare non sit permissum, *l. 6. ff. de except. rei jud. l. 76. §. 2. ff. de leg. 2.* Deniq; pro reo defendendo admittitur alius extraneus sine mandato, modo caveat pro iudicato solvendo, *l. un. C. de satis d. l. 12. C. de probat.* & tamen ad agendum sine mandato pro alio nemo admittitur, licet cautionem de rato offerat. BART. in *l. 39. §. 1. ff. de procurat.*

IV.

Itaq; rectissime faciunt creditores, procuratores, negotiorum gestores, similesve personæ, si propter impensas pignus, vel residuum potius retineant, quam post rei restitutionem, contrariis expe-

experiantur actionibus, maximè, quia quod contrario iudicio consequi quisque potest, id etiam recto iudicio, quo cum eo agitur, potest saluum habere iure pensionis. *l. 18. §. fin. ff. commod.* Interest enim nostrum potius non solvere, quam solutum repetere. *l. 3. ff. de compensat.* & dolo agit, qui id petit, quod restituere debet. *l. 8. ff. de doli mali & met. except. l. 173. §. 3. ff. de R. 7.* Et quia, quem de evictione tenet actio, eundem agentem multo magis repellit exceptio: ideo tutius agit emptor, si in casu, quo venditor rem à se distractam evincere conatur, eam potius retineat, intentione per exceptionem doli elisâ, quam si, re ablatâ, actione ad interesse evictionis experiatur *l. 17. l. 18. ff. de evict.* Sic vidua dotem, dotalitium, & alia, quæ eidem ex juris dispositione debentur, adhibitis eam in rem convenientibus actionibus, petere potest; sed longè utilius est, si potius iure retinendi utatur, quam, dimissa possessione, periculo litis longioris se subiciat. *l. 1. pr. ff. de pignor. & hypoth.* præcipuè, quod hac ratione interim alimenta accipere commodè possit, licet aliunde habeat, unde se alat. **COLER.** *de alim. lib. 1. cap. 11. n. 7.* **SURDUS** *de alim. tit. 1. q. 44. n. 17. seqv.* sive in possessione rerum allodialium, sive feudalium reperiatur. *Const. Saxon. 25. p. 2.* ibi. **Wie denn auch die Frau so lange das jus retentionis in den Lehngütern und ihre Unterhaltung haben soll/bis sie des ihrigen befriediget.** Cautela igitur est, ut vivo marito uxori in præsentia Notarii & testium eventualis possessio, nempe in casum mortis mariti tradatur, & desuper instrumentum possessionis exhibeatur. Idem dicendum, si metuat testator, ne hæres legitimus præveniat testamentarium in occupanda possessione bonorum post ejus mortem, ut similiter huic possessionem cedat statim, ne apprehensione speciali habeat opus, sine qua illa in hæredem non continuatur. *l. 23. ff. de acquir. vel amit. possess.* Sed hæc adducta volo, non quasi eum, qui & actione aliqua est munitus, præcisè ad excipiendum adstrictum velim, cum, positis certis circumstantiis, interdum commodius quis agendo, quam excipiendo suum consequatur; verum quia communiter id evenit, ut reorum jura magis sint litigaturo proficua

ficua, quam quæ actori competere solent, quæq; ideo potissimum hic erant respicienda, quia jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur *l. 8. ff. de LL. quod eni u semel aut bis existit, prætereunt legistatores l. 6. ff. eod.*

V.

Si igitur aliquis duplici remedio juris, actione & exceptione munitus, illà sibi contendendum putet, vel etiam præter agendi facultatem nullam aliam rationem, ac modum causas in iudicium deducendi habeat, puta, si factum occurrens ita sit qualificatum, ut nullum ibi defensionis propriè sic dictum medium appareat, non leve saepe numero suboritur dubium: **AN & QVALIS** actio competere possit. Hæ namque duæ circumstantiæ in genere actionis investigando omnem paginam implent.

VI.

Itaque primarium actoris est officium, ut causæ statum exactè cognoscat, atque AN agendi jus ex eo sibi competat, æstimet. Nemo enim sine actione experiri potest. *l. 6. §. 12. ff. de neg. gest. l. 19. l. 36. ff. de reb. cred. l. 116. ff. de V. O. cum interfit & litigatorum & iudicis, ne quis antea ad agendum accedat, quam certò teneat actionis speciem, quam intendere voluerit. Neque enim actor antea causam instituere, nec reus satis se præparare, aut etiam deliberare, neque denique iudex, quæ ratio in cognoscendo & decidendo sit servanda, æstimare poterit. OL-DEND. in tr. form. invest. act. n. 20. qui id facere conatur, ejus libellus, etiam parte non opponente, rejicitur. MARANTA. in Spec. aur. p. 6. n. 68. RUTGER. RULAND. de commiss. lib. 2. cap. 1. n. 38. Si quidem hæ sunt partes iudicis, ut calumniosum actorem, ubi hoc constiterit, à limine iudicii repellat, ne scilicet ainnibus sumptibus vexetur adversarius. Et creditur iudicem sine actione actorem admittentem teneri parti ad interesse. MENOCH. de arbit. jud. quest. lib. 1. qv. 16. Nec enim fieri potest, ut feratur sententia, si, ut loquitur MARANT. c. l. materia ejus deficiat.*

VII.

Ut vero constet, AN competat actio, factum vel casus speciem

speciem diligentissimè discernere debes. Est enim jus in
causa positum. *l. 52. 2. §. ff. ad L. Aquil. & ex facto ortum*
d. l. & l. 52. §. 8. ff. de O & A. Necessarium igitur, ut de facto
prius quærat, i. e. de dictis, scriptis, gestis, aliisque,
quæ verbo faciendi continentur. *l. 175. l. 218. ff. d. V. S.*
quam ad quæstionem juris deniatur *l. 122. ff. de V. S. l. 16. ff. de*
statu hom. l. 13. ff. qui pot. in pign. l. 41. l. 94. ff. de V. O quia
qui in facto errat, eum in jure etiam facto illi accommodando
errare necesse est. Sicuti enim judex sine cognitione facti, quod
ipse non supplet *l. 18. ff. commun divid.* BARBOS. *ad l. un. C. ut*
quæ def. advocat. parr. jud. suppl. non potest ferre sententiam;
nec ICtius, si factum non est apertum, certum dare responsum,
l. 15. C. de transact. BALD. conf. 304. lib. 1. ita etiam, nisi ne-
gotium ipsum prius rectè perceperis, impossibile fuerit, certam
actionis rationem colligere. Utique prius constare debet, testa-
mentum factum esse, antequam, an ratum illud haberi oporteat,
quærat. *l. 24. ff. de testament. militis.*

VIII.

Sed necesse est, ut acturus totum factum expendat, non
unam vel alteram ejus particulam inspiciat. *l. 31. ff. depositi verb.*
si totius rei æquitatem, quæ ex omnibus personis,
quæ negotio isto contingunt, impletur. Nam vel levis-
sima facti mutatio totum jus variat. *l. 31. vers. ubi desit ff. de excusat.*
lib. 34. ff. de leg. 3. Singulæ igitur circumstantiæ; causa, persona,
locus, tempus, quantitas, qualitas, eventus. *v. l. 16. ff. de*
pænis, considerari debent. Prout enim illa variæ sunt, ita ex jure se-
cundum diversitatem casus diversimodè æstimari solent. Et ideo
pro qualitate personarum actionem formandâ esse,
& eandem rationem moderandam notanter ait PAULUS *in l. 15. ff. de*
neg. gest. Et ULPIANUS *in l. 72. in fin. ff. de jud.* eum, qui jus dicit,
inquit, oportere æstimare pro conditione causæ, vel
personæ, vel temporis, atque ita moderare ordinem
edictorum. Ex eadem ratione IDEM respondit: ex diver-
sitate rerum vel personarum quibusdam emergenti-
bus

bus, quæ varietatem inducunt, respondit, non esse semper referendum jusjurandum eo modo, quo delatum est in *l. 34. §. pen. ff. de jure jur.*

IX.
Oportet autem circumstantias esse pertinentes, i.e. tales, quæ ad causam faciunt. Itaque si in rem aliquis agit, debet designare rem, & utrum totam, an partem, & quotam petat. Sed & mensura dicenda erit, cum res mensura continebitur. Et si vestimenta nostra esse, vel dari oportere nobis petamus, & numerum & colorem dicere debemus. *l. 6. ff. de R. V.* Porro in personali actione remota causa ut exprimat, necesse est, non tamen in reali. Neque enim quam semel res mea esse potest, sæpius autem deberi, ut ita singulæ actiones singulas causas sequantur, nec ulla earum alterius petitione vitietur. *l. 14. §. 2. ff. de except. rei jud. l. 159. ff. d. R. 7.* Nec refert, an circumstantiæ actionis ad eam principaliter quid faciant, an qualitercunque adminiculentur causæ principali. Ergo nihil imputabitur actori, si indagatione interdicti retinendæ possessionis rationem simul habeat proprietatis, quippe quæ ad colorandum possessorium, & coadjuvandas vires interdicti allegari potest. *GAIL. lib. 1. Obs. 81. n. 6.* Considerabit tamen hic actor præprimis, quid nam aliquando probare necesse habeat, nam ita de facili æstimare potest, quæ circumstantiæ in genere actionis investigando spectari debeant, cum inter actionem, & id, quod venit probandum, nulla possit dari differentia. Quemadmodum itaque illud, quo probato nihil obtineri potest in causâ, in Articulis probatoriales frustra redigitur. *l. 1. C. de probat.* ita pariter nec actionis cujusdam qualitas ex his, quæ ad eam fundandam nihil faciunt, æstimari debet. Ita tamen hæc accepta volo, ut, si quæ circumstantia naturæ totius actionis derogat, eamque subvertat, illa prorsus omitti debeat, ne intentio actoris, de causâ per modum actionis in iudicium deducenda, suscepta, exitum experiatur diversum. Quod si ne-

si necessariae quidem actionis qualitates fuerunt observatae, alia
tamen ad statum causae nihil facientes simul retentae, actio ipsa
propterea non vitiabitur. *l. 1. §. 5. ff. d. V. O.* Tutius namque est,
superfluum admittere, quam necessarium planè reprobare. *SPE-*
CULATOR. in tit. de posit. §. 3. videndum n. 8.

X. Ubi igitur factum totum cum omnibus circum-
stantiis fuit perpensum, tum demum apparet, actori vel nul-
lam vel aliquam actionem competere. Illud duobus mo-
dis accidit; vel enim ab initio quis nullam habet actionem,
vel habuit quidem, quae tamen deinceps invenitur sublata. *PO-*
sterius evenit, ubi obligatio solutione, acceptilatione, aliisque
modis tollendi eam ipso jure fuit extincta. Prius autem con-
tingit, si medium concludendi, adeoque in actione reali jus in re,
in personali jus ad rem vel in totum vel ex parte deficiat. Fru-
stra igitur instituitur actio negatoria, si res, in qua libertas adse-
ritur, & alteri servitus negatur, ad actorem nec ratione domini-
l. 2. ff. si servit. vindic. nec alterius cujusdam juris in re pertineat.
SCHNEIDWIN. ad §. 2. Instit. de act. n. 34. ac ita nullum jus prohi-
bendi actori competat. Nec potest novum opus nunciari ei, qui
in via aedificat, si de servitute via non constat. *l. 14. ff. de operis novi*
nunciat. Et creditores hereditarii emptorem hereditatis conveni-
re volentes a limine judicii facile repelluntur. *l. 2. C. de hered. vel*
act. vend. l. 2. l. 25. C. de pact. Nec minus frustra litigat, si in rem
acturus, adversarium possidere in libello adducere non possit, seq; in
solo jure in re fundat. Licet enim actio realis ex dominio descen-
dat *l. 23. ff. d. R. V.* non aliter tamen institui potest, quam si reus
conventus possideat. Elegancia sunt, quae ad hanc rem facien-
tia refert Biccus rer. quotid. sect. III. rb. 144. Actiones in rem,
inquit, quarum fundamentum est dominium, aut
aliud quodcunque jus in re constitutum, dantur
quidem iis, qui aut jure Gentium aut civili domi-
nium vel jura illa in re acquisiverunt, attamen ad
eos producendos tanquam causa proxima, ex par-
tere rei fugientis necesse est, intervenire possessionem,
deten-

detentionem, moram restituendi, vel quodcun-
que aliud factum, quo actori de jure suo controver-
siam movet *l. 25. ff. d. O & Al. un. C. de alienat. jud. mut. causa
facta.* Inde facile patet, venditori primo, qui sub pacto retro-
venditionis aliquid vendidit, contra tertium possessorem nullum
jus agendi competere, cum is neque ex jure in re teneatur, ob fa-
ctam dominii translationem, nec ex aliqua causa illi possit esse obli-
gatus. BERLICH. *p. 2. Concl. 2. n. 12. 16.* BARBOS. *ad l. 2. C. de pact. in-
ter emt. & vendit.* sed potest emtor à venditore ad id, quod inter
est, conveniri. CARPZ. *p. 2. Const. 1. def. 16.* Hoc tamen non sol-
vendo existente, actionem in factum concedunt. MAGONIUS *de-
cis. Florent. 105. n. 3. & Decis. 192. n. 16.* BARBOSA *d. l. n. 51. per l. 13. §. 4.
ff. de hered. petit.* ubi si venditor hereditatis non est solvendo, da-
tur heredi petitio hereditatis utilis adversus emptorem ut tertium.
Sed ut hanc sententiam non admittamus, movet, quod assēs vix
ulla possit dari actio personalis, quæ non hoc modo adversus
tertium se extendere possit, id quod tamen solidis Jurisprudentiæ
Romaniæ principiis non est conveniens; ac licet in petitione hæ-
reditatis id inveniatur dispositum, tamen quod in certo casu per
expressam juris dispositionem est receptum, ad alios non conti-
nuo extendi debet. *l. 14. ff. d. LL. l. 141. ff. d. R. 7.*

XI.

Si diligens perscrutatio facti obvenientis habita fuerit, &
concludendi medium appareat, probè tum in qualita-
tem facti investigare erit conveniens. Quà in parte perpen-
dendum, an occurrens quæstio facti ad jus personarum vel
rerum sit referenda. Illo casu præjudiciali actione utendum
esse per se constat. *§. 13. Inst. de action.* Hoc autem videndum,
num acturus jure in re vel ad rem sit munitus. Quo per-
specto satisque cognito, innotescit demum, utrum real, an per-
sonali actione sit experiendum.

XII.

Licet vero actor, ubi hæc rectè pensitaverit, non mo-
dicum, quod actionem instituendam fundare possit, præstitisse
videatur; attamen ne sic quidem ex omni parte officio suo satisfac-
cit, quin potius ulterius inquirere debet, an, quæ ex facti evo-
lutio

lutione sese offert actio cum effectu in iudicium deduci possit, necne. Sæpè enim accidit, ut quamvis actio sit nata, tamen vel suspendatur ejus exercitium, vel exerceatur quidem, attamen effectu omni nihilominus destituatur.

XIII.

Venit autem exercitii suspensio ab impedimento tum legis tum hominis. Lex ipsa uni alterive negotio talem indidit naturam, ut illud non nisi elapso quodam tempore, aut existente aliqua conditione tales accipiat vires, unde actio perfecta nasci possit. Ut ut ergo res futuræ donari, vendi, & in stipulationem deduci possint. *l. 8. ff. eod. l. 73. ff. d. V. O. l. 3. C. de donat.* non tamen ante eas petere licet, quam per rerum naturam facultas præstandi se offert. *d. l. 73. ff. d. V. O.* Et ideò insulam fieri stipulatus non ante agit, quam præterito tanto tempore, quo ædificari potuit *l. 14. ff. eod.* Omnis item pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum esse, ut nascatur pignoratitia actio. *l. 9. §. 3. ff. de pignor. act.* Offerri quoque pretium ab emtore debet, cum ex emto agitur *l. 13. §. 8. ff. de act. emt.* Nam cum solvendi tempus obligationi additur, nisi eo præterito, peti non potest. *l. 186. ff. d. R. I.*

XIV.

Nec minus legalis actionis suspensio se offert, ubi cum principali concurrat præjudicialis; Hæc namque ante omnia expediri debet, veluti, si causa status incidat. *l. 3. C. de judiciis. l. 1. C. de ord. cogn.* vel quærat, an filius sit legitimus. *l. 6. ff. de his qui sui vel alieni jur. sunt.* vel uter ex litigatoribus possideat §. 4. *J. de interd. vel*, iudicio familiæ herciscundæ instituto, negetur ab adversario, actorem esse cohæredem. *l. 1. §. 1. ff. fam. l. erisc.* Imprimis servanda est regula à PAULO in *l. 54. ff. de judiciis* tradita: per minorem causam majori præjudicium fieri non oportere; major enim quæstio minorem ad se trahit, siquidem ex majoris causæ decisione intelligitur, quid de minore sit statuendum. Sic prius agendum de proprietate fundi, quam de servitute ei debita. *l. 16. l. 17. ff. de except.* Et ante fit persecutio totius hereditatis, quam partis, veluti libertatis testamento relicta. *l. 7. ff. de heredit. petit.* Unde in concurren-

tiā causā criminalis cum civili, illam, utpote graviolem expedire est omnino necessarium. *l. fin. C. de ord. cognit.* Igitur, si de vi & possessione quaratur, prius cognoscendum de vi, quam de proprietate rei. *l. 31. ff. de iudiciis.* Et falsi quæstio in civilem incidens, prius per modum inquisitionis removeatur, quam ut civilis tractetur. *Decis. Saxon. 88. CARPZOV. lib. 2. R. 52.* Quā de causā, cum aliquando non levia indicia falsi adversus documentum, ex quo actio instituta erat, demonstrabantur, tale sequebatur decisum: Das vor allen Dingen wider N. N. des gerügten falsi halber mit der Inquisition zu verfahren / und wird biß zu dessen Erörterung mit der Haupt-Sache in zwischen billig in Ruhe gestanden. Suspensa etiam fuit actio injuriarum adversus eam, quæ se stupratam fuisse, dicebat, donec quæstio stupri esset finita, eamque in rem pronunciabatur: Daß Beklagter auff die wider ihn erhobene Klage noch zur Zeit sich einzulassen nicht schuldig. Modo tamen criminalis causa verè sit præjudicialis sive cum civili non compatibilis, ita ut hanc penitus absorbeat; aliud dicendum, si una alteram compatiatur, tum enim unā sententiā ambæ terminantur. *l. pen. C. de ord. jud.* Quomodo in actione injuriarum civiliter & criminaliter institutā reus non modo ad satisfactionem actori, sed & ad pœnam fisco inferendam condemnatur: Daß Beklagter Klägern der libellirten injurien halber / darant er ihm zuviel und unrecht gethan / eine öffentliche Abbitte vor Gericht zu thun schuldig / und wird hierüber 14. Tage lang mit Gefängniß oder um zwey Neuschöck billig in Straffe genommen. Et liberum est ei, cujus servus occisus fuerit, & ex judicio privato L. Aquilæ damnum persequi & capitalis criminis eum reum facere. *§ u. 7. de L. Aquil.* Sic contra furem domino condictio furtiva, & actio furti extraordinaria criminalis intentatur. *l. fin. ff. de furtis.* Una etiam ex his duabus principaliter institutā, in alterā simul sententiā ferri potest. Pronunciatio enim expressa in causa principali in necessariam consequentiam dirimit quæstionem causæ incidentis, FARINAC, *in prax. crim. qv. 100. cap. 2. n. 89.* Hic pro cautela observandum, ut si forte iudex in criminalibus tantum, non etiam in civilibus cognitionem habeat actor moveat ibi accusationem principaliter, cum hac ratione etiam per consequentiam ibi causa civilis decisionem accipere possit VULTEJ, *de jud. lib. II. c. 4. n. 406.*

n. 406. Præterea si in dilatione civilis causæ plus est periculi, quam in criminali, illa huic præferri debet, v.g. Si interdictum unde vi cum criminali actione concurrat, ubi utiliter fieri potest, ut ante restituatur dejectus, quam in criminali iudicio procedatur. l. i. C. de appellat. l. 7. C. ad L. Juliam de vi publ.

XV.

Hominis impedimentum vel est Testatoris, vel alicujus Contrahentis. Nam cum liberum sit testatori rei suæ legem dicere quam velit *Nov. 22. cap. 8.* in potestate certè ejus quoque est positum, bona quæ habet non solum purè, sed & sub die vel certâ conditione in alium transferre. Ex quo fieri solet, ut is, qui commodum testamentarium sperat, ad id consequendum non continuo agere, sed expectare debeat, donec vel dies venerit, vel conditio extiterit l. 5. S. 2. l. 41. ff. de cond. & demonstr. l. 5. S. 1. ff. qn. dies leg. vel fideicomm. cedat. Quia igitur agnatorum remotiorum jus revocandi fideicommissum familiæ, post mortem demum proximorum incipit; ideo ante ipsis nullum jus agendi competit. *KNIPSCHILD. de fideic. fam. c. 16. n. 99.* ne quidem ad eum effectum, ut agens futurus fideicommissi successor declaretur. *MARZAR. de fideicomm. p. 3. qv. 61. n. 13.* *PEREGRIN. de fideicomm. art. 41. n. 4.* in fin. licet dissentiat *COVARRUVIAS var. resol. lib. 1. c. 18. in fin.* aut ut proximiori agendi necessitas imponatur. *L. un. C. ut nemo in vitus.* *KNIPSCHILD. d. l.* Sed & à contrahentibus variè conventiones determinari, indeque actionum iisdem inhærentium natiuitatem impediri posse, notius est, quam ut pagellas hæc multis mautilibus de hac re implere debeamus.

XVI.

Ipsam quoque actionis natæ exercitium non raro effectui destitui, ex eo patet, quod sæpe accidat, ut licet ipsa persecutio, quæ actor experitur, iusta sit, tamen iniqua sit adversus eum, cum quo agitur. Iniquitas illa non solum inde venit, quod ab illo negotio, ex quo agitur, naturale vinculum absit tam ab initio, ut si vi metuque vel spe futuræ numerationis aliquid sit promissum; tum ex post facto, quod nudo pacto remissum, aut, si juratum sit, nihil deberi. S. 1. 2. 3. 4. 5. J. de except. Sed & in eo illa conspicitur, dum utrumque

que obligationis vinculum, civile & naturale quidem circa fundandam actionem concurrunt; ut etiam in iudicium recte deduci, & ad eam reus respondere teneatur, cui tamen à legis civilis auctoritate effectus ultimus nihilominus & quidem ita denegatur, ut proposita actio non minus atque in priore casu, opposita exceptione in perpetuum excludatur. Sic filiusfamilias accipiendo mutuum pecuniam non tantum naturaliter, sed & civiliter obligatur. *l. 1. l. 9 §. fin. l. 10. ff. ad Sc. Maced.* ENENKEL *de privil. par. 5 lib. cap. 12. n. 4.* exindeque actione mutui recte convenitur sed conventus ab effectu institutione actionis objectione exceptionis Sc. Macedoniani se liberat *l. 7. §. 4. & 10. ff. eod.* Et cum per sententiam nec actio nec obligatio ipso jure tollatur. § 5. *de except.* sed illa potius maneat quoad vinculum utrumque *l. 60. ff. de cond. indebiti* DN. SCWEND. *in not. ad ECKOLT tit. de except. rei jud.* § 5. inde fit, absolutum priori actione adhuc teneri quidem, quæ tamen postea exceptione rei judicatae excludi potest. Ex quibus, quod addere necessarium duxi, patescit, veram excipiendi rationem non ex solo defectu æquitatis naturalis; sed etiam ex juris præscripto desumendam, quod interdum ob rationem quandam externam & politicam contingit, ubi præsens quidem est civile & naturale vinculum, quod tamen actionibus inde nascentibus omnem effectum, in executione potissimum consistentem, adimit. Atque nunc recte huc referenda sunt juris regulae: Non videtur cepisse, qui per exceptionem à petitione removetur *l. 13. ff. D. R. 7.* Item Nihil interest ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. *l. 112. ff. eod.*

XVII.

Ubi igitur competens actio ita est qualificata, ut etiam cum effectu in iudicium deduci possit, tum multum interest, an ab ipso reo, an vero à tertio obtineri possit. Prius expeditum est, nempe executionem contra illum, ejusque bona faciendam esse; Posterius quod attinet, cavendum, ne cum tertio, qui nobis nullo jure ad quid præstandum est obligatus, experiamur, alioquin à limine iudicii statim repelli possumus; sed po-

potius instituat pro re nata actio adversus nobiscum contra-
hentem, ut is cum tertio nonnunquam agat ita, ut quicquid ab
eo consecutus fuerit, illud nobis, si nostra inter sit, præstetur.
Sic, si venditor habitationem exceperit, ut inquilino
liceat habitare, vel colono, ut perfrui liceat ad cer-
tum tempus, magis esse Servius purabat, ex ven-
dito esse actionem: deinceps TUBEKO ait, si iste co-
lonus damnum dederit, emtorem ex emto agen-
tem cogere posse venditorem, ut ex locato cum
colono experiatur, ut, quicquid fuerit consecutus,
emtori reddat. *l. 13. § pen ff. de act. emt.* Liberatur tamen
reus, si actionem sibi contra --- tertium competentem cedit.
Non desunt tamen casus, in quibus etiam sine cessione recta ter-
tium convenire licet, pura, si is, cum quo erat contractum, sit in-
ops, nec alio modo creditori actio sit salva. Sic, ubi res à mi-
nore entia alii est vendita, etiam adversus ejus rei possessorem,
licet cum eo non sit contractum, restitutio datur, ne rem suam
perdat, vel re suâ careat. *l. 13. § i. ff. de minor.*

XVIII.

Ut vero laxior sit agendi facultas *l. 108 § 1. ff. d. leg. 1. l. 76*
§ pen. ff. de leg. 2. l. 1. § 4. de publican. id fieri solet, ut de una re
duabus pluribusve actionibus experiiri liceat. Quo casu vel
unam saltem eligere, vel omnes in judicium deducere, vel
unam post alteram instituire permittitur. Unius electio
locum habet, si plures actiones ex una eademque cau-
sa descendentes ad idem tendant, quâ factâ ad reliquas
regressus non datur, propter bonam fidem, quæ non patitur, ut
idem bis exigatur *l. 57. ff. d. R. 7.* Et sufficit electio sola, etiamsi non
acceserit sententia. Quamprimum enim una dictarum actionum
fuit in judicium deducta, reliquis statim & simpliciter renuncia-
tum intelligitur. HILLIG, ad DONELL, *lib. 21. cap. 3. lit. D.* STRY-
VIUS ad π exercit. *46. th. 93.* ita, ut si aliam adhibere velit actor,
exceptione rei judicatæ repelli possit, qua toties uti licet, quoties
lis inter easdem personas de eadem re ac ex eadem causâ peten-
di

di est resuscitata. l. 3. l. 7. § 4. l. 12. l. 13. l. 14. ff. de except. rei jud.
nisi minus utilem aut planè inutilem dolo adversæ partis elegerit,
tunc enim aliam instituere prohibendus non est. l. 4. § fin. ff.
quod cum eo qui in alien. potest.

XIX.

Contingit vero iste concursus, vel, ubi plures actiones reales, vel plures personales, vel reales cum personali concurrunt. Plures reales vel numero vel specie sunt differentes. Numero differunt, v. g. vindicationes variis ex titulis profluentes. Quà de re bene observandum, in arbitrio actoris esse, in tali casu vel solam exprimere causam proximam, veluti dominium, vel omnes remotas, vel unam ex remotis, Omissio causæ remotæ quidem non præjudicat, cum dominium nec incrementum nec decrementum recipiat, indeque ejus causa nec duplicari nec multiplicari potest, nam ita omnes domini causæ unâ petitione comprehenduntur. l. 14. § 2. ff. de except. rei jud. l. 159. ff. d. R. J. Cautius tamen agit actor, si unius saltem causæ expressionem faciat, quia ubi succumbit, ex alia & nova denuo experiri licet. Et ideo si fortè sub conditione res mihi legata fuerit, deinde medio tempore acquisito dominio petam, exceptio rei judicata non obstat. l. 11. § 4. ff. de except. rei jud. quæ tamen, nullâ expressâ causâ, omnino nocet, quia in priori vindicatione generaliter proposita omnes causas domini acquirendi in iudicium deduxisse videtur, ut ex eo in omnibus etiam succubuisse dicendus sit.

XX.

Porro specie differunt actiones reales inter se diversam planè naturam habentes, e. g. vindicatio, actio publiciana, confessoria, negatoria &c. in quibus idem illud obtinet, ut una ex pluribus concurrentibus saltem instituatur. Licet igitur vidua in bonis prædefuncti mariti, & legatarius in bonis hæredis præter dominium tæcitam habeant hypothecam l. 30. C. de jur. dot. l. 1. C. commun. de leg. tamen alterutra saltem actione, aut vindicatione, aut hypothecariâ, actores oportet esse contentos. Inqua tamen electione circumspexit oportet esse actorem. Equidem in genere verum est, plus commodi consequi eum posse ex rei vindicatione, quam per

per hypothecariam actionem, quia ex illa rem ipsam cum sua causa
ita recipit, ut ejus in perpetuum retinendae facultatem habeat; Ex
hac vero nihil amplius consequitur, quam ut sola rei hypothecatae
possessio, usque dum principale debitum solutum fuerit, restituatur.
Interdum tamen nihilominus evenire potest, ut haec majorem,
quam illa, contineat utilitatem. Quid enim si non constet de jure
actoris, & exinde dominii probatio reddatur difficilis? Praestas
sic sane hypothecariam potius actionem praevindicatione ample-
cti, cum juris hypothecarii probatio, hodiernis praepriis tempo-
ribus, quibus saepe judiciales sunt pignorum constitutiones, in-
promptu esse possit, imprimis vero, ubi non contra extraneum,
possessorem, sed debitorem ipsum illa intentatur, quia eo casu
ne quidem, rem tempore constituti pignoris in bonis debitoris fu-
isse probare est necesse. *l. 22. §. 1. ff. de pignor. & hypoth.* HAM-
MELIUS *de act. cap. 20. n. 90. seq.*

XXI.

Accidit vero nonnunquam, ut duae actiones reales concurrere
videantur, non tamen ita, ut ex utraque duae res aequae princi-
paliter, sed una saltem in consequentiam & subsidium petat-
tur. Non est igitur novum, ut querela in officiosi testamenti cum
hereditatis petitione, rei vindicatio cum actione publiciana con-
currat, ut rescissio testamenti, aut dominii veri questio principa-
liter, & vel per consequentiam restitutio hereditatis petatur. *l. 3.
§ 8. ff. de inoff. testam. l. 34. C. eod.* vel quasi dominium eventualiter
& sub conditione, si nimirum auctoris titulus ostendi non po-
tuit, subjiatur.

XXII.

Dantur tamen, quae omnem fugiunt concurrenti-
am, puta, quae contrarietatem involvunt, ut actio confessoria &
negatoria. Neque enim natura rei controversa paritur, ut & il-
li servitatem deberi, & eandem ab ea liberam esse, simul & eo-
dem tempore asseratur, id quod satis causa est, actiones istas in
eodem libello cumulari non posse, quanquam si servitutes, vel
jura illis analogae diversa capita respiciant, cumulationem fieri
posse, formula pronunciandi tali in casu aliquando adhibita in-
dicabit: *Diesseil Beklagter auff die erhobene Klage geantwor-*
tet/

tet / und solcher so viel den ersten 2. 3. 4. 5. 6. 9. 10. 11. 14 und 16.
Klag-Punct betrifft / nicht in Abrede / auch daneben auff ein
Befugniß sich beruffen / in übrigen aber der Klage nicht gestän-
dig / so seynd / und zwar Beklagte solches angegebne Befugniß
hingegen Kläger den Grund ihrer Klage / so viel ihm daran ver-
neinet worden / in Sächf. Frist / wie recht zu erweisen / schuldig /
da wieder beyden Theilen ihr Gegen-Beweis / Eynes Delation
und andere rechtliche Nothdurfft billig vorbehalten wird / fernet
darauff zu beschehen / was recht ist / V. D. W.

XXIII.

Atq; hic est concursus actionum realium. In persona-
libus non levio rem cricum spectionem adhibebit actor. Conside-
rabit enim, an omnes personales sint rei persecutoria, an
pœnales, an quædam rei persecutoria, quædam pœ-
nales. Ex pluribus persecutoriis eligat actor eam, quæ
sibi vel ratione processûs vel meritorum causæ videtur u-
tilior. Sic plenius sibi prospicit actor, si in casu, ubi commoda-
tarius, depositarius, socius, ratione rei commodatæ, depositæ,
vel communis subtractæ, potius conditione furtivâ, quam actio-
ne commodati, depositi, pro socio experitur. l. 34. §. 1. ff. de O. &
A. l. 29. ff. depositi. l. 47. ff. pro socio. In illâ enim reus ad rei casu
peremptæ æstimationem tenetur tanti, quanti res à tempore deli-
cti commissi plurimi fuit. l. 8. ff. de cond. furt. l. 8. §. 1. ff. de privat.
delict. cum in his adversarius vel planè non, ut propter interitum ca-
sualem, vel non nisi ad verum rei pretium obstringatur. Dein-
de, qui, ut condemnetur reus obtinuerunt, vel actione iudicati ci-
vili, vel imploratione officii iudicis moribus receptâ uti possunt. Sed
quia hoc longè expeditius, facilius, & tutius est remedium, ea
propter illud præ actione iudicati eligendum esse suadent SPECU-
LATOR tit. de execut. sent. §. 5. GILMANN. lib. 2. rer. jud. decis. 4. n.
4. Idque usu in iudiciis Germaniæ sic observari testantur GAIL-
LIB. 1. observ. 113. n. 9. seq. MARANTA de ord. jud. p. 6. tit. ult. n. 8. HIL-
LIG. ad DONNELL. lib. 27. cap. 3. lit. b.

XXIV.

Pœnales, sive sint puræ sive mixtæ, quod attinet, pro-
bè

bè dispiciendum, an illæ proficiantur ex uno facto & ex uno delicto, an ex uno facto & pluribus delictis, an ex pluribus factis & pluribus delictis. Primo casu omnibus uti licet: Nam cum arbores furtim sint cesæ, tunc actione arborum furtim cesarum & L. Aquiliæ experiri permittitur. *l. 1. ff. arb. furt. cesar.* Et si publicanus quid non jure abstulit, ex hoc unico facto non modo actione ex edicto de publicanis, sed & actione furti, L. Aquiliæ, & vi bonorum raptorum agere potest. *l. 1. §. 4. ff. de publican.* Sic qui metum intulit, de dolo & actione quod metus causâ tenetur. *l. 14. §. 13. ff. Quod met. caus.* Porro qui rem vi rapuit, actione furti & vi bonorum raptorum convenitur. *l. 1. ff. vi bonor. rapt. l. 88. ff. de furt.* Quæ tamen non sic erunt accipiendæ, ac si in eodem libello harum actionum coacervatio fieri possit; sed ita potius, ut si leniori antea actor usus fuerat, id quod in altera actione est pluris, consequatur, *d. l. 1. ff. vi bon. rapt.* Atque huc pertinet regula: Nunquam actiones pœnales de eadem pecunia concurrentes alia aliam consumit. *l. 60. ff. de O & A. l. 130. ff. de R. J.* Secundo casu, unâ tantummodo actione experiri licet. Nam qui servum alienum injuriosè verberat, ex uno facto incidit & in L. Aquiliæ & injuriarum actionem. Injuria enim fit ex affectu, damnum ex culpa. Et idè ambo competere possunt. Hinc ita respondet **MODESTINUS**: Plura delicta in una replures admittere actiones, sed non posse omnibus uti, probatum est. Nam si ex una obligatione plures actiones nascuntur, unâ tantummodo non omnibus utendum est. *l. 53. ff. de O & A.* Tertio casu singulis factis singulæ pœnæ debentur. Nunquam enim plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur. Neque enim delictum ob aliud concurrentem minuit pœnam. *l. 2. ff. de privat. delict.* Qui igitur hominem surripuit & interfecit, & de surreptione & occisione tenetur. *d. l. 2. §. 1. eod.*

XXV.

Concurrentibus autem pœnalibus cum rei persecutoriis, cumulationem fieri posse, in propatulo est, quia hîc plu-

C 2

plures actiones diversarum rerum perfectionem continent. Itaque, qui alterius rem lucri faciendi gratiâ clandestinè contrectavit, & furti actione & condictione furtivâ simul convenitur. *l. 7. §. 1. ff. de cond. furt. l. 12. C. de furtis.* Et commodatarius re commodatâ debito modo non utens, commodati pariter & furti actione tenetur. *l. 5. §. 8. ff. commodati. l. 16. ff. de condict. furt.* Item si saccum vel argentum signatum deposuero, & is, apud quem depositum fuit, me invito contrectavit, & depositi & furti actio mihi in eum competit. *l. 29. pr. ff. depositi.* Etiam socius rem communem contrectans, & furti & pro socio actione alteri sociorum est obstrictus. *l. 45. l. 50. ff. pro socio.* Nihil autem refert, an rei persecutoria cum pœnali concurrens ex contractu, an verò ex delicto oriatur. *MYNSING lib. 1. obs. 25. GAIL. lib. 1. Obs. 63. n. 9.* & an in posteriori casu actio, an accusatio competat. *l. un. C. qn. civ. actio crimin. prejud.* item, an actio & accusatio simul principaliter, an altera principaliter, altera incidenter in iudicium deducatur. Ubi pro cautela tenendum, ut si fortè iudex in criminalibus, non vero in civilibus cognitionem habeat, actor moveat ibi accusationem principaliter, cum hac ratione etiam per consequentiam ibi causa civilis decisionem accipere possit. *VULTEJ. de iud. lib. 2. cap. 4. n. 406.* Unde sciendum est, de omni injuria eum, qui passus est, posse vel criminaliter agere vel civiliter §. 10. *J. de injuriis.* Ac proinde dejectus de possessione, & interdictum unde vi, & accusationem de vi publicâ rectè instituit. *l. 1. §. 1. 3. ff. de vi & vi arm. junct. d. l. un. C. qn. civil. actio crim. prejud.* Et liberum est ei, cujus servus occisus fuerit, & ex iudicio privato *L. Aquiliae* damnum persequi, & capitalis criminis eum reum facere §. 11. *J. de L. Aquil.* Sic contra furem domino condictio furtiva, & actio furti extraordinaria criminalis intentatur. *l. fin. ff. de furtis.* Est vero in arbitrio actoris etiam successive his remediis experiri, ita ut ne quidem interfit, sive prius criminalis, sive civilis sit mota actio, *d. l. un. C. qn. civ. actio crim. prejud.*

XXVI.

Præterea de realium & personalium actionum concurrentiâ videndum. Dari verò talem concursum innumera ferè exempla confirmare possunt. Nam legatarius aditâ hereditate non solum actionem ex testamento, sed etiam rei vindicatio-

tionem & hypothecariam consequitur. §. 5. 7. de obligat. qua ex qua-
si contr. nasc. 2. l. 1. C. communia de leg. Et uxor pro
dote repetenda tam actione ex stipulatu. §. 29. 7. de actionibus. l. 1.
C. de R. U. A. quam etiam actione in rem & hypothecaria utitur. l.
24. ff. soluto matrim. l. 30. C. de jure dot. Etiam dominus contra
emphytevtam, canonem intra tempus legale non solventem, actio-
ne personali, vindicatione, & hypothecaria rectè experitur. l. 2. C.
de jur. emphyt. Sed in his casibus expeditius est interdum reali, &
nonnunquam personali uti actione. Illud remedium ideo est uti-
lius, quod personalis saltem contra certam personam l. 25. ff. de O.
& A. & adversus heredes non nisi pro hereditariis portionibus
detur. l. 6. C. fam. ercisc. cum realis non solum adversus quemcun-
que possessorem l. 36. ff. de R. V. l. 17. ff. d. pignor. sed etiam contra
unum saltem ex heredibus, ad quem res petita pervenit, competat.
l. un. C. si unus ex pluribus hered. excepta actione hypothecaria pro
legato introducta, quæ contra heredem possidentem pro sua por-
tione datur. Illa enim hypotheca, ceu alioquin sua natura esse so-
let, non est individua. l. 1. in fin. vers. in omnibus C. comm. de leg.
Deinde, instituto judicio universali, quod concursus appellatur,
plus juris consequuntur, qui jus suum vel ex dominio vel ex hypo-
theca in judicium deducunt, quam si solum personalibus utantur
actionibus P. 1. const. 28. ord. proc. Sax. tit. 42. seq. Nonnunquam
verò personalis actio eligenda est præ reali, cum ob quasdam cir-
cumstantias illa possit esse utilior, tam quoad processum, quam
ipsam causam. Jus enim in re difficilius, jus ad rem faciliori
modo probatur. Realis actio ad speciem, quæ interire potest;
personalis ad genus, quod nunquam perit, est comparata, ut pro-
inde, re extincta, ipsa quoque pereat actio realis; non item per-
sonalis. Denique ex personalibus quædam comparatæ sunt in-
quadruplum; ex realibus nullæ. NICOLAUS BELLONUS lib. 1. sup-
putat. jur. cap. 8. RUTGERUS RULANDUS. de commiss. lib. 2. cap. 4.
n. 31.

XXVII.


Sed quid tandem dicendum, si cum actionibus utrius-
que generis, realibus & personalibus, quatenus in iis de
proprietate ac jure quaritur, concurrant possessoriæ? Si respi-

ciunt possessionis rerum corporalium retentionem, ab-
stineat acturus à cumulatione. Frustra enim in uno libello con-
jungat interdictum, uti possidetis & rei vindicationem, dum il-
lud possessori; hæc vero adversus possidentem datur. *l. 1. C. de
furtis l. 16. C. de inoff. testam.* Fieri autem non potest, ut actor
affirmet, & se & adversarium possidere. Non magis enim
eadem possessio apud duos esse potest, quam ut tu
stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo
ego sedeo, tu sedere videaris ait PAULUS in *l. 3. § 5. ff. de ac-
quir. vel amit. poss.* Aliud dicendum tum de interdictis reti-
nendæ rerum incorporalium, tum de iis, quæ vel recu-
perandæ vel adipiscendæ sunt possessionis. Pro inde-
dictum de aquâ quotidianâ cum actione confessoria, & in-
terdictum unde vi cum rei vindicatione, nec non interdictum
quorum bonorum cum petitione hereditatis rectè cumulantur,
utique secundum jus Canonicum *Cap. 5. X. de Causa poss. & pro-
priet.* non tamen de Jure Civili FRANZ *exercit. 14. qu. 3.* Solo
vero instituto petitorio, potest actor eo omisso instituere posses-
sorium. Nec enim videtur possessioni renunciasse, qui rem cœ-
pit vindicare. *l. 12. § 1. ff. de acquir. vel amit. poss.* modo tamen
id fiat, antequam in causa concludatur. Postea enim omnibus,
& juris & facti allegationibus intelligitur renunciatum *Cap. 25.
vers. omnes X. de testibus. clement. 2. eod.* Sed instituto possessorio
eo relicto in eodem foro, in quo antea de possessione agebatur
l. 10. C. de jud. petitorium tractari potest. Cautum tamen actorem
esse oportet, ne, antequam ex possessorio plenam adversario de-
derit satisfactionem, petitorii causam agere instituat, alioquin ex-
ceptione nondum finiti possessorii reus per multos annos
se defendet, & vix dabitur suscepti litigi-
optatus FINIS.

S. D. G.








ciunt possessionis rerum corporali
abstineat acturus à cumulatione. Frustr
junget interdictum, uti possidetis & re
lud possessori; hæc vero adversus poss
furtis l. 16. C. de inoff. testam. Fieri aut
affirmer, & se & adversarium possider
eadem possessio apud duos esse
stare videaris in eo loco, in qu
ego sedeo, tu sedere videaris ait
quir. vel amit. poss. Aliud dicendum tu
nendæ rerum incorporalium,
perandæ vel adipiscendæ sunt p
interdictum de aquâ quotidianâ cum
terdictum unde vi cum rei vindicatio
quorum honorum cum petitione her
utique secundum jus Canonicum Cap.
priet: non tamen de Jure Civili FRAN
vero instituto petitorio, potest actor
forium. Nec enim videtur possession
pit vindicare. l. 12. § 1. ff. de acquir. ve
id fiat, antequam in causa concludatur
& juris & facti allegationibus intelligi
verf. omnes X. de testibus. clement. 2. eo
eo relicto in eodem foro, in quo ante
v. l. 10. C. de jud. petitorium tractari pot
esse oportet, ne, antequam ex possessio
derit satisfactionem, petitorii causam
ceptione nondum finiti possessorii
se defendet, & vix dabitur
optatus F I N

S. D. G.



tionem;
libello con-
a, dum il-
l. i. C. de
ut actor
gis enim
am ut tu
el in quo
S. ff. de ac-
tis reti-
vel recu-
Pro inde
Toria, & in-
terdictum
cumulantur,
poss. & pro-
v. 3. Solo
tuere posses-
qui rem cœ-
modo tamen
in omnibus,
am Cap. 25.
o possessorio
ne agebatur
men actorem
versario de-
alioquin ex-
ros annos